

Quadrupliciter debem<sup>9</sup> deo gratias agere.

a deo debet gratias agere quadrupliciter. Primo deuote et iocunde: quia dñs liberaliter et sine meritis tribuit. Isa. xlvj. Gaudium et leticia inuenit in ea gratiarum actio et vox laudis. Bernardus in sermone de capite ieiunij: Siquidem fluminis aqua si stare ceperit putrescet: Sic plane gratie cessat decursus ubi recursus non fuerit: nec modo aliquid auget ingrato: sed quod acceperat ei vertit in perniciem. Fidelis autem in modico censet dignus munere ampliori. Refunde igitur in eum quod supra te est quicquid deuotionis quicquid delectationis quicquid affectus: ut si qua est in te gratia referat ad ipsum. Nec tuam queras gloriam sed ipsius. Idem alibi: Oportet gloriosum esse hominem et deuotum: qui precepta gratie munera manere sibi desiderat et multiplicari. Secundo magnifice quia magna dant nobis a deo. Non ergo tantum verbo et lingua sed ope et veritate exhibeamus nos gratos. Non enim gratiarum dationem sed gratiarum actionem exigit a nobis dominus deus noster. Magnifice ergo deo qui magna tribuit gratiarum actiones sunt exhibende. ij. macha. j. De magnis periculis a deo liberati: magnifice gratias agimus. Tertio assidue quia continue discipulus beneficia a deo suscipit. psal. Benedicam dominum in omni tempore semper laus eius in ore meo. Et ad ephese. v. Gratias agens semper deo. Crisostomus. Admoneo vos ut dominum semper benedicatis. Si venerint mala benedicite et dissoluentur mala: si prospera venerint benedicite et perseverabunt. Cassiodorus super psal. Iugiter sibi conuenire facit cui collatum beneficium ante oculos semper assistit. Quarto integre quia omnia bona nostra a deo sunt: et omnia que nobis a deo donantur bona sunt: Prime thessalon. v. In omnibus gratias agite. Bernardus: Disce in referendo gratias non esse tardus aut segnis. Disce ad singula dona gratias agere. Diligenter inquam considera que tibi apponuntur ut nulla videlicet dei dona debita gratiarum actione frustrantur: non grandia: non mediocria: non pusilla: unde debemus colligere fragmenta ne pereant. Capitulum. cxxv. de. xliij. et. p. v. instrumentis ubi de timore diei iudicii: et ponere gebenni.

In omnibus gratias agemus.



Quadragesimum quartum instrumentum est (Diem iudicii timere) Cum spes et timor se concomitantantur in iustis secundum illud psal. Beneplacium est domino super timentes eum et in eis qui sperant in misericordia eius. Timor iudicii et spes diuine misericordie sunt duo pedes christi: ut ait Bernardus super cantica. quorum unum sine altero osculari non expedit: quia recordatio solius timoris in baratrum desperationis precipitat: et inde fallax assentatio pessimam generat securitatem. Admirabile ergo scilicet pater post instrumentum spei habende de misericordia dei: subdit instrumenta de timore iudicii et pauore gebenni. Timendus est autem dies iudicii: et preparandus est animus ad operandum iustitiam: secundum illud ecclesiastici. xvij. Ante iudicium para iustitiam: glo. monet ut semper parati simus: nec stulta securitate nobis blandiamur: sed in seruitute dei laboremus usque ad finem vite. De quo lu. xij. Et vos estote parati quia hora non putatis filius hominis veniet: ubi glo. gregori. Hora vero ultimam dominus noster idcirco voluit nobis esse incognitam ut semper possit esse suspecta ut dum prouidere non possumus ad illam sine intermissione prepareremur. Est autem hic notandum quod decem terribilia leguntur scriptura circa iudicium: ratione quorum merito dies iudicii venit timenda et formidanda. Primum est. xv. signorum precessio. Sicut enim cum paterfamilias moritur: tota familia deponit consuetum ornatum et induit se veste lugubri in signum doloris: sic secundum Crisostomum appropinquante mundi termino omnes creature ostendent signa doloris: iuxta dictum saluatoris luce. xxj. Erunt signa in sole et luna et stellis: et in terris pressura gentium pro confusione sonitus maris et fluctuum. Secundum terribile est mundi conflagratio que sicut dicit Augustinus. Ventura creditur ante iudicium. Sicut enim imperator procedens contra hostes suos permittit incendiarios: qui terras eorum comburant ita ignis iudicis aduentum precedat: mundum comburens: scilicet petri tertio Adueniet dies domini in quo elementa calore soluentur: terra autem et que in ipsa sunt exurent. Si autem incenso igne in parte ciuitatis omnes terrentur: quantum terrorem inducere credendus est tantus ignis

Duo pedes domini.

Hora extrema quare sit ignota nobis

Quindecim terribilia circa iudicium.